



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

§. 51. Virtutes S. Richardi Cicestriensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

Dominica secunda post Pentecosten men-
 se Junio S. Edmundi corpus in templum
 monasterii Pontiniacensis translatum est
 præfente Rege S. Ludovico, Regina ejus
 matre, ac innumerabili Nobilium multi-
 tudine. Rex Anglis quam cæteris na-
 tionibus majorem illius sepulchrum vi-
 fendi libertatem dedit.

Sæcul. XIII.
 A. C. 1247.

Hist. p. 638.
 Addit.
 p. 1087.
 Nang. Gesta
 p. 346.

§. LI.

Virtutes S. Richardi Cicestriensis.

Interea hujus Sancti discipulus, Richar-
 dus Episcopus Cicestriensis non illo
 melius ab Anglorum Rege habebatur.
 Lugduni a Papa consecratus, cum rediis-
 set, cunctos Episcopatus sui redditus a Re-
 gis ministris absumptos, edictumque Re-
 gium, ne sibi quidquam præberetur,
 promulgatum audiit. Monstrabat Regi
 litteras Pontificias, ut in possessionem
 mitteretur, jubentes; sed hujus Princi-
 pis indignationem ei accersebant. Ita-
 que in Dioecesin se suam recepit, pauper-
 que ac rebus omnibus spoliatus piorum
 hominum tecto victuque utebatur, inspi-
 cere subjectorum mores, & sacramenta,
 prout opus erat, administrare haud omit-
 tens. Ne cedere jure suo videretur, a-
 dibat interdum Aulam, ac Ecclesiæ suæ
 restitutionem humiliter flagitabat, cum
 contemptu semper & convitio remissus.

Vita ap.
 Boll. to. 9.
 p. 280.

Histor. Eccles. Tom. XX. M m Quo-

Sæcul. XIII.

A. C. 1247.

Act. 5. v. 41.

Quodam die Ecclesiæ suæ Decano & Canonis eam rem dolentibus dicebat hilari vultu: *An nescitis illud, quod scriptum est, Apostolos gavisos esse contumelia pro Christi nomine tolerata.*

Attamen, quomodo a Rege haberetur, Papam certiore fecit, qui duos Angliæ Episcopos admonere Regem, ut intra certum tempus Ecclesiæ Ciceſtrienſis terras & bona Richardo redderet, minus, censuras in mandato expressas totam per Angliam denunciare disertissime jussit. Post biennium denique obtemperans Rex Episcopo terras ipsius inutilis redditas & plane nudas restituit. Largissimam is tamen spargebat stipem: & fratri, in quem bona paterna deoneraverat, suos proventus ad illam sufficere neganti reposuit: *Num par est, nos ex mero & argento comedere, dum Christus in pauperibus suis famem patitur? sum contentus vasis fictilibus ut parens meus: vendantur omnia una cum equo meo, si opus est.* Per Episcopatus sui tempus agebat fervorem precum, victum, cultumque asperum, omniaque bona opera sua.

p. 582.

Nulla propinquis suis beneficia confererebat, dicens, Dominum nostrum S. Petro præ S. Joanne cognato suo Ecclesiæ regimen commisisse. Insuperabili constantia Archiepiscopo Cantuariensi Regique ipsi obstitit, pro Parocho mali exempli,

pli, qui foeminam religiosam rapuerat, de-
 precantibus. De rebus divinis assidue
 verba faciebat ad populum, etiam extra
 Diocesin suam: poenitentibus aures, so-
 latoria, animos, postulantibus consilia da-
 bat: cuncta denique charitatis opera tam
 corporalia quam spiritualia exercebat.

Tribus mensibus post S. Edmundi ad
 ordinem Sanctorum adscriptionem Papa
 Innocentius immortalitati consecravit
 Guilielmum Pinchonium Episcopum
 Briocensem, ut apparet ex diplomate
 Lugduni dato 15. Apr. 1247. & Archi-
 episcopo Turonensi ejusque Suffraganeis
 inscripto: in quo Papa sigillatim sex mi-
 racula illius precibus impetrata, plura-
 que alia generatim refert, per testes ido-
 neos confirmata. Tum dicit, se die Pa-
 schatis (erat is hoc anno ultimus Mar-
 tii) illi coelestes honores publicosque de-
 crevisse de consilio Cardinalium, Patriar-
 chae Constantinopolitani, caeterorumque
 Praesulum ad sanctam Sedem commo-
 rantium. Demum ad memoriam ejus-
 dem ipsa obitus die 29 Julii celebrandam
 hortatur.

§. LII.

Mors Henrici Comitis Provincialis.

In Germania Henricus Thuringiae Co-
 mes Provincialis, postquam in Roma-
 norum

M m 2

norum